



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Instructio practica ...**

Svccinctam Doctrinarum Asceticarum Svmmam Comprehendens - Quam  
ad majorem omnium in Ascensi proficere cupientium utilitatem ac  
subsidium

**Lohner, Tobias**

**Dilingæ, 1685**

Caput I. De desiderio ad Scientiam Asceticam descendam necessario.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-48214](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-48214)

tus est, dicens: Thesaurizate autem vobis thesauros in cœlo, ubi neque ærugo, neque tinea demolitur, & ubi fures non effodiunt, nec furantur.

## PARS VI.

DE MODO PROFICIENDI  
IN SCIENTIA ASCETICA.

**M**odum hunc egregiè sapientissimus Salomon exemplo suo docuit, dum Sap. 7. dixit: *Propter hoc optavi, & datus est mihi sensus; & invocavi, & venit in me Spiritus Sapientia: & prapofui illam regni & sedibus &c.* per hæc enim verba sat clarè ostendit, se tria præcipuè media adhibuisse ad Sapientiam comparandam, nempe desiderium, orationem, & propriam cooperationem; quæ proinde ab ijs quoque, qui Scientiam Asceticam bene addiscere capiunt, adhibenda erunt; quâ ratione autem ea in praxi utilis panda sint, jam nunc ostendetur.

## CAPUT I.

DE DESIDERIO AD SCIENTIAM  
ASCETICAM ADDISCENDAM  
NECESSARIO.

**I.** **Q**uantopere desiderium, conducat ad Scientiam Asceticam, ipsâque adeò perfectionem consequendam, clarè iterum Salomon Sap. 6. ostendit dicens: *Concupiscite ergo sermones meos, diligite illos, & habebitis disciplinam. Clara est, & quæ nunquam marcescit Sapientia: & facile videtur ab his, qui diligunt eam: & invenitur ab his, qui querunt illam.*

illam. Praoccupat, qui se concupiscunt, ut illis se prior ostendat. Initium enim illius est verissima disciplina concupiscentia. Quod quidem S. Bernardus aded verum putavit, ut ep. 123. dicere non dubitavit: *Indefessum proficiendi studium, & jugis conatus ad perfectionem perfectio reputatur.* Hinc S. Thomas, ut videre est p. 1. l. 3. c. 17. hist. Prædicatorum. Sorori quærenti, quâ ratione salvari posset? respondit: *Si volueris, salvabere.* Hoc sanè desiderium, inquit S. Augustinus tr. 4. in ep. 1. Joan. *Sinus est, hic saccus, & quia angustus est, extenendo facis capaciorem.*

II. Porro ad desiderium hoc excitandum tria potissimum excitare jure merito possunt, & debent. 1. Iplius Magistri dignitas & Nobilitas; nam ut rectè S. Ambrosius dixit, *Primus discendi ardor Nobilitas est Magistri? quid autem præstantius Christo DEI Filio? Qui ipse S. Brigittæ l. 6. revel. c. 27. dixit: Quid te delectat audire opera mundanorum & bella Procerum? & cur tali auditu inani occuparis? cum ego sim omnium Dominus, nullâque delectatio sine me in pretio habenda sit. Si cupis audire facta magni Domini: si considerare opera magnalia, debes nique audire & considerare facta mea, que intellectu incomprehensibilia sunt, cogitatu stupenda, & auditu admiranda.* 2. Iplius etiam Scientiæ præstantia, quæ sequenti capite fusiùs demonstrabitur. 3. Auxiliorum ad eandem addiscendam paratorum copia & efficacia; cum enim DEUS ardentissimè desideret, hanc scientiam ab Hominibus addisci, & practicari, hoc ipso etiam paratissimus est ad copiosa auxilia (sine quibus nihil nos posse cognovit) pro hoc fine offerenda.